



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Declaratio dictorum modorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

*Modus posterior benè eligendi,
in Regulas quatuor & Anno-
tationem vnã distributus.*

REGVLA PRIMA, Quòd
cùm oporteat per affectum ex
Dei amore calitus infusum fieri ele-
ctionem, eligentem conuenit persenti-
scere in seipso, quòd quidquid affectio-
nis (siue multum siue modicum sit)
erga rem electam tenet, ex solius Dei
amore & intuitu proficiscatur.

SECUNDA est, Considerare,
si quis mihi vir amicissimus, cui nihil
non perfectionis inesse cupiam, occur-
ret dubius super electione huiusmodi,
quidnam ego illi decernendum maxi-
mè essem consulturus: quo animad-
uerso, agendum & mihi ducam, ut
suaderem alteri.

N 4 T E R

TERTIA, *Mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem obseruasse modum in presenti deliberatione : iuxta hunc igitur eligendum nunc esse, facile intelligam.*

QUARTA, *Prospicere non minùs quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re vsum esse vellem: quo agnito nunc vtar, ut eo tempore magis sim securus.*

Annotandum est postremò, quòd hisce Regulis quatuor propter salutem meam & animi quietem accuratè seruatis, debeo iuxta vltimum Punctum modi præcedentis electionem ipsam definire, & offerre Deo comprobendam.

SI quis dispositionem, de quâ dictum est in Exercitiis superioribus, optimo quo cum diuinâ gratiâ potuerit modo, acquisiuerit; restat vt oculos in rerum suarum statum coniiciat, hoc est,

est, in suas negligentias, culpas, passionibus, inclinationes, occupationes, & Exercitia, quo omnia illa ad beneplacitum diuinæ voluntatis reformet, hæc omnia in particulari, & quibus mediis, in singulis vti debeat considerando; adhibendo ad hæc Examen generale, quod in primo Exercitio de peccatis fecit.

Vt verò solidius in hisce quid statuat, videantur modi electionis quos S. Pater noster in secundâ illâ Hebdomadâ præscribit; ex quibus, si benè in iis se exercuerit, valde solidas pro vitæ suarumq; occupationũ & functionum reformatione conclusiones hauriet.

Et benè notandum est, quòd sicut præcipuum impedimentum, quò minus statuamus quod maximè diuino obsequio conuenit, est inordinatus ille ad honorem, honorificam tractationem & diuitias affectus; sic etiam maximum impedimentum, quò minus conclusiones & proposita iam excitata executioni mandemus, fit contradi-

N 5 ctio

ctio sensualitatis amorisque proprii & mundani, quam experimur. Et hinc fit, quòd sicut ad benè concludendum nos disponit S. Pater noster per Exercitium Christi Domini nostri, qui cum Cruce suâ nos semper præcedit, ut illum sequi, & ei similes esse desideremus; sic ad nos in proposito nostro confirmandos, & ad vires animosque necessarios ad eius executionem subministrandos, valdè fusè nobis proponit in tertiâ Septimanâ Meditationem de Passione Domini nostri. Et tandem, finis tertiæ Septimanæ est Exercitium solidarum virtutum; quæ non sine contradictione aut aduersitate, ignominiâ, dolore, omniumque rerum temporalium defectu exercentur: quarum omnium præclarissima nobis exempla Passio Salvatoris nostri suppeditat.

MEDITATIO *de Passione Christi.*

Finis huius Meditationis est, ostendere (quod sine summâ admiratione
ne